

mus, qui latera firmissima, nervosq; densissimos efferre
præ cæteris valeat. Quippe timendum ne robur abeat in
ferociam, quemadmodum ex Imperatorum Historia pejo-
res non deprehendimus, quam quos digito currum retine-
re, equorum dentes pugno excutere, elephantos conto
transfigere potuisse memoratum est. Interim ut Tiberius
Africae optabat Pro-Consulem, non modo *GNARUM MI-
LITIAE*, sed etiam *CORPORE VALIDUM*; ita nemo ne-
gaverit, ad superandas studiorum molestias multum con-
tribuere membrorum firmum valentemq; vigorem. Au-
gusti Cæsaris hæc erat gloria, etsi infirmissimum munia du-
cis obiisse; Vespasianus quoq;, quamlibet ægrotus, ad mu-
nera Imperatoria procedens docebat, *IMPERANTEM
MORI STANTEM OPORTERE*: nec unquam ex ani-
mo meo effluet fortitudinis monstrum *CARDINALIS AM-
BOSIUS*, sub Ludovico XII. Galliarum Rege adversus
Pontificem armorum sive Dux sive Auctor: Is enim sub præ-
lii tempus Podagra, Colica Febriq; acutissimâ tactus, devo-
ratis dolorum punctationibus, ita ad exercitum ordinandum
procedebat, ut sanum & salvum ex immoto vultu pleriq;
colligerent. Verum enim vero consumatiorem fuisse Virtu-
tem, si tantos Heroes, ut benigna indoles, ita faventior
etiam respexisset sanitas, quis est, qui dubitet? Quamobrem
ad *DEUM* Vitæ salutisq; optimum Servatorem denuo meæ
diriguntur preces, velit indulgentissimus Pater huic corpu-
sculo vires largiri, animæ corporea instrumenta debito suc-
co replere, ac citius permittere, ut mortuum me Schola
efferat, quam languidum & inutilem deploret.

Ast